



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 32 [i. e. 31]. De Collocatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

affectus excitandos. Ejus potissimum usus est in Conclusionibus rationum, & ratiocinationum, & in Epilogis. Exclamatio ad quid seruiat invenies in Cypriano.

Per plerasque harum figurarum, eandem sententiam, seu propositionem variari posse ostendit P. Juglaris in Ariadna, observatione 27. ubi tamen pro anteoccupatione, accipi Correctionem, & concessionem, ac permissionem, intellige conformiter ad dicta. Simile exemplum invenire est in P. Masen. Palæstra Styli lib. 2. cap. 5. & in Oratoria, ad quorum imitationem similia effingi possunt.

C A P U T XXXI.

De Collocatione.

Sicut figuræ ad ciendos affectus varios serviunt, ita collocatio ad aurium lenocinium, & gratiam: aures enim, ut annotavit Cicero, vel animus potius, aurium internuncio, naturalem quandam in se continet vocum omnium dimensionem: unde sicut musicum concentum, artis licet imperitus, dijudicat, approbat, improbat, ita & cursum Orationis, plenusne sit, ac planus? an hiulus, durus, asper? continuus? an abruptus? suavis? an acerbus? verbo, aptene an ineptè cadat

cadat ad aures. Quæ si offendantur asperitate vocum aliquâ, non potest tam grata ipsi animo influere, tropis licet & figuris instructa oratio, nec proinde gratiam obinebit flectendi ac persuadendi. Ut igitur visui servitur, dum pro munere offertur res aliqua, ut scilicet non ipsa solùm, sit gratiosa, sed & id, in quo offertur, ita necesse est, ut etiam servietur auditui, ut gratum quoque accidat id, quod in verborum involucrio præsentatur. Hoc autem rectâ verborum collocatione, ac structura perficitur, in qua quidem primùm observandus est *verborum ordo*, nè quod priùs erat ponendum, collocetur posterius, tum *junctura*, ut non solùm asper, ac durus vocum concursus evitetur, sed etiam

suavis, & concinnus efficiatur,
placido verborum flumine.
